DISP. V.
DE
LAPSU TERTULLIANI
ad
MONTANISTAS.

ARTICULI II.

SECTIO II.
DE
LAPSUS HUJUS VERITATE, ET QUALITATE.

§. 1.

IN superioris sectionis § I. ostendimus, de *lapsu Tertulliani* non idem omnes sentire, variante cum studio & affectu erga virum quondam clarissimi nominis, tum sententiâ de erroribus, in quos incidit, & lapsus qualitate non idem statuentium; absolvente hunc à lapsu lapsum, quem feliciter aliquandiu stantem commisisse iste contendit. Posterior opinio cum certa nobis videatur, in ea quam hoc nomine ex veri amore instituemus disquisitione, assertum ibimus I. *Tertullianum prius* orthodoxum *defeciſſe ad Fanaticos Montaniſtas.* II. Eundem ad Montaniſtas deficiendo *lapſum* esse, *Pietaſtrumq;* factum.

§. 2. Ingenium viri inconstans, & fanaticum, asperum & austerum, uti rigidiora & asperiora amaverat, ita lapsurum inclinabat ad hypocrisin *Pietaſtrorum* potius, atque sanctulo-